

Quæ perfecta vides : sed perficienda supersunt
Quædam alia , & longum poscunt abrupta laborem .

Ille (vides ?) nostris Myrhæo in cætibus ille
Affidet usque comes , curasque exercet easdem
Immortale Achamas nomen . Jam fixit in alto
Alnanum , ac Lerimuin ramo , vultumque Aretalgi ,
Quartum format adhuc fingens , & totus in illo est .

Lyc. Novi equidē : quis enim non nosceret ? Extulit illos
Eductos campis silvestribus , extulit ingens
Divini æternum virtus ad culmen honoris ,
Atque suos curare greges , quacumque vagentur ,
Religio dedit , & totum imperitare per Orbem .
Agnosco triplici fulgentia tempora ferta ,
Alnoani & moutes ternos ; & montibus astrum
Impositum : triplex Lerimi se fascia prodit
Per medium secta , & gemino variata colore ,
Quamque Aretalgus habet , spatiis distincta quadratis
Ultro sè prodit Jovis ales : Squammeus anguis ,
Et rosa , & Ursinam signat quæ fascia gentem ,
Nota sat & nostris in montibus : omnia nota
Tantorum decora heroum , & tot grandia facta .

Qui tamen hi , tela juvenis quos jungit in una ,
Pastores terni ? Sacro distincta galero
Frons rubet , & vasta perarata volumina mole
Hinc atque hiuc cumulata jacent . Proh quanta senili
Ore sedet pietas ! qui pectore promicat ignis ?

Tyt. O decus , o Latii numquam peritura senatus
Gloria ! Vi raptos Alnanus paupere teſto
Extulit hos , Lycida , simul , atque effulgere sacro
Obstantes longum necquidquam jussit in ostro .
Alcidamum hunc dicunt , huic nomen mascula virtus ,
Huic divinus amor merito dedit : exhibet illos
Riviscus , dotesque animi , doctosque labores
Exprimit , ac telam o quanta levis arte colorat !
Benacum Eurasius , Thyrsinque , & format Alaurum .
Ollis Phœbus adest , promptamque in carmina venam
Suf-